

inquinabo illos. In istis nanque vitibilibus que intue-  
mur, cor nostrum spargitur, premitur, & sedatur, &  
quicquid de se intrinsecus agatur, obliuiscitur, dum  
extrinsecus occupatur. Si igitur homo ita creatus est,  
vt per id quod in eo precellit, attingat id, quod cun-  
cta precellit, & vnum vere optimum, sine quo nulla  
natura subsistit, nulla doctrina instituit, nullus vsus  
expedit, ipse quaratur, vbi munda sunt nobis omnia,  
ipse cernatur, vbi omnia nobis certa sunt, ipse diliga-  
tur, vbi nobis recta sunt, omnia. Commendabilior  
etiam est actiua vita contemplatiua, quia securior.  
Nam & temporalium occupatio multis vallat per-  
iculis, & plena est spinis. Versari in his & non ladi  
diuinae potentiae est, non virtutis humanae. Hoc probat  
transientium raritas, periculantium multitudo.  
Econtrario quoniam frustra iacitur rete ante oculos  
pennatorum, & facile euadit laqueos mentis, qui ocu-  
los habet in caelis, illa ruta via dicenda est, in qua ni-  
hil est, quod timeatur, quae compenatur mentis pla-  
ciditate, leuatur vsus, sustentatur ocio sancto, non oc-  
cupatur aliquibus molestiis, non vrgetur humanis  
discursibus. Excellentior praeterea iudicanda est con-  
templatiua vita quam actiua, quia quietior. Nam cō-  
templatiua pacatis vitiorum tumultibus optata in  
Christi mentis quiete fruatur, quam in plurimis acti-  
ua turbetur. Cessare quoque Dominus à mundi labo-  
ribus imperat, & sancta quietus dulcedine suadet,  
& tamen vasana hominum mens plus se assequi aspe-  
ra carnaliter, quam blanda tenere spiritualiter gau-  
det, plus acerbitate fatigationis, quam quietis dulce-  
dine pacitur. Praestantior similiter est contemplati-  
ua propter hoc, quod iucundior. Merito enim iucun-  
dior est, quia actiua vita habet sollicitum cursum, cō-  
templatiua gaudium sempiternum. In hac acquiritur  
regnum, in illa percipitur, haec facit pulsare bono-  
rum operum velut quibusdam manibus ianuam, ista vocat  
consummandos in patriam, in hac contem-  
nuntur mundus, in illa videbitur Deus. Sedebit (in-  
quit Propheta, de contemplatiuis) populus meus in  
pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in re-  
quie opulenta. Apparet etiam praeminētia contem-  
platiuae vitae, quia permanentior est. Contemplatiua  
hic incipit, & in caelesti patria perficitur, quia amo-  
ris ignis, quo hic ardere inchoat, quem ipsum, quem  
amat, viderit, in dilectione amplius ignescit. Actus  
autem cum corpore desicit, quia panem non porri-  
get esurienti, quoniam nemo esurit, neque caetera o-  
pera pietatis ager, quia non erunt necessaria. Fulget  
in super dignitas cōtemplatiuae vitae, quia preciosior,  
& hoc quia rarior. Actiua nanque vita multorum est,  
contemplatiua paucorum. Quod in Noë arca figura-  
rum fuit, de qua dicitur, quod inferius erat lata, & in  
cubito summitas consummabatur. Videmus enim  
multos in ecclesia superbire, lasciuire terrenis rebus,  
irasci, rixari, & proximum laedere, sed quia illos ec-  
clesia tolerat, quasi in latitudine arcae bestia fuisse re-  
feruntur. Videmus alios aliena non rapere, illatam  
iniuriam aequanimitate tolerare, rebus propriis con-  
tentos esse, humiliter viuere, & diuinis solliciti famu-  
lari praecipit, sed quoniam iam pauci sunt, angusta  
arca. Cernimus verò non nullos possessa relinque-  
re, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos di-  
ligere, carnem domare, omnes motus ratione preme-  
te, atque per caeleste desiderium contemplationis

paena subleuari, quoniam autem sunt parati, arca iux-  
ta cubitum consummari perhibetur, vbi homines  
& volatilia continebantur. Postremo in hoc prae-  
cellit actiua contemplatiua, quia vita caelesti est limi-  
lior. Actiua vitae exercitia sunt panem esurienti tri-  
buere, verba sapientiae nescientem docere, errantem  
corrige, ad humilitatis viam superbientem proxi-  
mum reuocare, infirmantium curam gerere, & qua  
singulis quibusque expediant dispensare. Quum au-  
tem nil horum exerceatur in patria, & in his non se  
occupet contemplatiua, nisi in sola cognitione, &  
laude conditoris, conspicuum est contemplatiuum  
exhibere imaginem aeternae patriae, vbi videbimus &  
amabimus, amabimus & laudabimus, quod est beati-  
tudinis gaudium iuxta Prophetae sententiam dicentis.  
Beati, qui habitant in domo tua Domine, in fecus-  
lum seculi laudabunt te. Psal. 83.

*Quo debent concurrere, vt perfecta sit deprecationis  
oratio.*

**I**N rebus humanis ille sagacior, ille  
prudencior esse cognoscitur, qui in a-  
gendis negociis propriis vel alienis ser-  
uato modo, loco, & tempore opus ar-  
reptum ad finem ducit. Acque in spiri-  
tualibus itandum est, & praesertim in orationis actu,  
quia quanto excellentior est operatio, tanto pruden-  
tius debet fieri. Quoniam verò Deo asitare, & illi lau-  
dis sacrificium offerre angelorum imitatio est, peru-  
tile existit non ignorare, qualiter nostras ei debeamus  
dirigere orationes, vt & in seipsis perfectae sint,  
& cui offeruntur acceptae. Multa nanque sunt, quae  
debent concurrere, vt perfecta sit deprecationis oratio.  
Primo enim orandum est attente. Nam in orationibus  
vigilandum est, ne animus cogitet aliud, praeter id  
solum quod precatur. Indignum quippe est in corpore  
asitare Deo, & mente per campos inuisibilium  
cogitationum euagari. Qui enim in sensu cordis orat,  
& praesentem Dominum in sua oratione cognoscit,  
nil horum patitur, sed totum se colligens in se ante  
faciem Dei se statuit, vt ei actus amoris, dilationem  
patriae, peregrinationis arumnas, tentationum im-  
pulsus, frequentes casus, necessitates non paucas, &  
hostium inuisibilium importunos insultus pandat, &  
ab illo suscipiat iuxta vota auxilium spirituale. Quae  
admodum autem preces, quae attente & puro animo  
funduntur, à Domino reportant, quod petunt, ita des-  
piciuntur leues, dissidentes, inutiles, in seculi curis  
anxia, rebus temporalibus implicata, & bonorum operum  
fructibus infœcunda. Item orandum est cum magni-  
tudine desiderij. Sic nanque scriptum est Deut. 4. Quum  
quaesieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen  
toto corde quaesieris. Magnitudo quippe desiderij cla-  
mor est quem Deus exaudit. Hoc tamen nequaquam silen-  
tio praetereundum est, quod saepe mens statim non po-  
titureo, quod ardentis desiderio à Domino postulat,  
& importune pulsare per orationes cogitur, quod  
magis ad profectum efficitur orantis, quam ad con-  
temptum, quia quum superficietenus petitio negligitur,  
vota exorantis altius in cogitationum radice soli-  
dantur, sicut & semina mesium gelu pressa solidan-  
tur, & quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem  
cumulatoria consurgunt. Sancta enim desideria dila-  
tatione crescunt, & vnde ad tempus detrimentum to-  
lerare videntur, inde maiora lucra in retributione  
repor

Prou.

Esa. 3.

Gene. 6.